

*Ægyptium occidisse quasi ex inspiratione Divina auctoritatem adeptus, ut videtur per hoc, quod dicitur act. 7. quod percussio Ægyptio æstimabat Moyses intelligere fratres suos, quoniam dominus per manum ipsius daret salutem Israël. Vel potest dici, quod Moyses occidit Ægyptium defendendo eum, qui injuriam patiebatur cum moderamine inculpata tutele. Unde Ambr. l. 1. de Officiis c. 36. ait, quod qui non repellit injuriam a socio, cum potest, tam est in vitio, quam ille, qui facit: Et inducit exemplum Moysis: ergo.*

Dices 1. Moyses antequam hoc facinus patraret, circumspexit hæc & illuc, num a nemine videretur, & cum accepit esse vulgatum, fugit in terram Madian, ut narratur loco citato Exod.; atqui hæc sunt indicia sceleris patrati: ergo. R. N. Min. Prudenter enim cavet Moyses, ne occisio Ægyptii, etsi justa, vulgaretur, ne Pharaos & Ægyptii magis adhuc sævirent in Hebræos. Vulgato autem facinore fugit, ut periculum mortis sibi imminens vitaret, *Audivit enim Pharaos sermonem hunc, & quærebat occidere Moysen, ut dicitur ibidem.*

Dices 2. S. Aug. l. 22. contr. Faustum c. 70. docet, hanc Ægyptii cædem, a Moysese perpetratam, fuisse injustam, eod quod Moyses nullam tunc haberet auctoritatem sive in Ægyptio, sive in Hebræos: ergo. R. S. Aug. deposita hac sententia, descendisse in hanc, quam defendimus q. 2. in Exodum; ubi cum retulisset, quod dixerat loc. cit. contra Faustum, subdit: *Tamen, sicut Stephanus dicit in actibus Apost. putabat intelligere fratres suos, quod per eum Deus daret illis salutem: ut per hoc testimonium videatur Moyses jam divinitus admonitus (quod Scriptura eo loco tacet) hoc aude potuisse.*

## DIGRESSIO SECUNDA HISTORICA.

## De Penitentia, &amp; morte Samsonis.

## Ad Articulum III. Dissertationis Præcedentis.

Primum crimen Samsonis indicatur Jud. 16. v. 1. his verbis: *Abitit quoque (Samson) in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingressusque est ad eam.* Quæ ultima verba, cum is soleat in Scripturis significari res uxoria vel meretricia, sufficienter exprimentur crimen Samsonis cum illo scorto Gazæ. Alterum Samsonis crimen fuit amor meretricis Dalilæ, de quo Judicium 16. cit. *Post hæc amavit mulierem, que habitabat in valle Soret, & vocabatur Dalila.* Equidem S. Chrysost. & S. Ephrem existimant, Dalilam fuisse uxorem Samsonis; sed fuisse meretricem conformius Historie sacræ testantur Josephus, S. Hieron. & Ambrosius, & alii. Hujus Dalilæ fraudibus deceptus Samson captus est, & excecatur a Philistæis, ductusque Gazam in Templum Dagonis, ut coram eis luderet, concussis Templi columnis se suosque hostes corruente Templo obruit. Quæstio est itaque, an Samson impenitens & suicidii reus occubuerit?

Dico: Samson, nec impenitens, nec suicidii reus occubuit. Prob. ex Apost. ad Hebræos 11. ubi Samsonem inter Sanctos recenset his verbis: *Deficit me tempus enarrantem de Gedon, Barac, Samson, Jephthe, David, Samuel & Prophetis: qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones:* ergo. Adstipulantur SS. Patres, S. Epiphanius Hæresi 30. S. Paulinus Epist. 23. S. Ambrosius Epist. 24. & alii.

Dices 1. Samson seipsum cum hostibus occidit: ergo. Quidam excusant Samsonem ex eo, quod mortem suam non intenderet, sed hostium dumtaxat gentis suæ, cujus erat Judex, interfectionem, se salvo, si potuisset. Verum huic solutioni obstare videntur hæc ejus verba in procinctu subversionis Templi: *Moriatur anima mea cum Philistæis* Judic. loc. cit. Unde R. cum Aug. l. 1. de Civit. c. 21. Samsonem id fecisse ex instinctu Spiritus S. Idque indicat Scriptura loc. cit. *At ille, inquit, invocato Domino, ait: Domine Deus memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus, ut ulciscer me de hostibus meis, & pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam. Et apprehendens ambas columnas, &c.*

Inst. Samson intendebat vindictam, ut innotuit verba laudata: ergo. R. D. Ant. Intendebat vindictam ut homo privatus N. ut homo publicus C. Erat enim Samson Judex in Israël, injuriaque sibi illata non tam erat priva-

ta, quam publica, & in totum populum redundans.

Dices 2. Juxta relationes S. Mechthildis incerta est sors Samsonis, Salomonis, & Origenis: ergo. R. Revelationes privatas, præsertim S. Scripturæ contrarias, quales sunt istæ, nullius esse ponderis. Insupèr hæc revelationes continent alia absurda, & S. Mechthildi falso esse adscriptas, probat Baronius ad ann. 604.

## DIGRESSIO TERTIA HISTORICA.

## De Eviratione Origenis.

## Utrum fuerit Canonicum Ordinationis impedimentum?

## Ad Art. IX. &amp; X. Dissert. Præced.

Origenes, dum Alexandrinam Scholam regeret, & non solum viri, sed & mulieres forma elegantis ad eum confluerent, castitati suæ timens, seipsum eunuchum fecit, non abscisione, sed adhibito pharmaco ad exciscendam libidinem, unde eviratio secuta est. Hoc facinus primum demiratus Demetrius Alexandrinus Episcopus, postea improbat, & ordinationem Origenis factam a Theoctisto Cæsare Episcopo, & Alexandro Hierosolymorum, ea de causa impugnavit: jure vel injuria? Quæritur. Pro quo Dico: Eviratio Origenis non fuit canonicum illius ordinationis impedimentum, illamque ea de causa injuria impugnavit Alexandrinus Episcopus. Est contra Baronium.

Prob. 1. Temporibus Origenis eviratio nondum erat canonicum sacræ Ordinationis impedimentum: ergo. Prob. Ant. Eviratio inter canonica sacræ Ordinationis impedimenta primum recepta recensita est a Concilio Nicæno Can. 1. ubi sic legitur: *Si quis seipsum sanus abscidit, hunc & in Clero constitutum abstinere convenit, deinceps nullum talium promoveri.* Hoc autem Concilium celebratum fuit ann. 325. & obiit Origenes ann. 254. ergo. Prob. Ant. Tum quia antè Concilium Nicænum nullibi legitur Lex removens eunuchos a sacræ Ordinationibus; tum quia laudatus Canon Nicænus dicit: *Deinceps nullum talium esse promovendum:* ergo antè promovēbantur.

Perperam objicit Baronius Canonem 22. Apostolorum. Constat enim, Canones, qui dicunt Apostolorum, Origenis ævo nondum in Ecclesia vim Legis habuisse, imò nec notos fuisse, de quo vide Natal. Alex. sec. 1. Dissert. 18. Cabassut. Not. Eccles. sec. primi. Digressionem 1. ad art. 1. Dist. 1. de Jure. Unde Meitonem Sardensem Episcopum laudat Polyocrates Ephesiorum Episcopus, ut *Eunuchum Spiritu S. afflatum apud Eusebio l. 5. c. 24.*

Prob. 2. Conclusio ex Eusebio l. 6. c. 8. & S. Hieron. in Catalogo c. 65. qui testantur, Demetrium primo admiratum fuisse factum Origenis, sed postea invidia motum propter celebrem Origenis famam, mutato animo, ejus Ordinationem injuriosè apud omnes orbis Episcopos impugnare cepisse. Et S. Hieronymus c. 73. ejusdem libri loquens de Alexandro Hierosolymitano, qui Origenem ordinaverat, testatur ipsum scripsisse ad Origenem, & pro Origenis contra Demetrium, eod quod juxta testimonium Demetrii cum Presbyterum constituerat. Fuit autem Alexander vir sanctissimus, divina revelatione inauguratus Episcopus Hierosolymitanus.

Objicit insupèr Baronius exemplum Leonii Ariani Episcopi, qui Sacerdotio privatus est, eod quod semetipsum evirasset, ut scribit S. Athanasius Epist. ad Solit. Item testimonium Photii in Biblioth. cod. 18. scribentis, Origenem secus quam oporteret fuisse ordinatum: ergo. R. ad 1. N. Conseq. Quia Leonius id attentavit post & contra Canonem Nicænum; sed Origenes. Adde, quod Leonius id egerat, ut absque pudoris & famæ periculo, mulierculæ, quam deperibat, frueretur amplexibus, ut refert Athanasius loc. cit. Ad 2. testimonio Photii, qui multis sæculis posterior scripsit, opposimus testimonia Eusebii, SS. Alexandri & Hieronymi.

Inst. Lege Moysis Deut. 23. cautum erat, ne eunuchus intraret Ecclesiam Domini: ergo. R. Id fuisse Legis veteris præceptum, non morale, sed cærimoniale adeoque nova Lege abrogatum; sicut & aliud ibidem, quo prohibetur de Scortis natus intrare Ecclesiam Domini.

DISSERTATIO XI.  
DE FURTO ET RAPINA.

## D. Thom. Quæst. 62.

Postquam diximus de peccatis Justitiæ oppositis per quæ inferitur nocuum proximo in persona, considerandum est de peccatis Justitiæ oppositis, per quæ inferitur nocuum proximo in rebus exterioribus, scilicet de furto & rapina (Q. 66. in Proam.) Antè omnia suppono (Ib. a. 1. & a. 2.) hominem esse capax domini, eumque, posita rerum divisione, licite re exteriorum possidere, de quo vide, quæ dixi diss. 3. de subjecto & objecto domini art. 1. & 2. & diss. 4. de modis acquirendi dominium art. 1.

## ARTICULUS I.

## Quid sit Furtum? quid Rapina? quomodo differant?

Furtum, juxta Isidorum l. x. Etymol. c. 6. (Ibid. a. 3. in arg. s. c.) dicitur a Furro, id est, atro, seu fusco, quia plerumque fit in tenebris. Furtum dupliciter accipitur: 1. generaliter pro omni injusta acceptione rei alienæ, sive sit occulta, sive manifesta; sive sit rei proprie possessæ, sive improprie. Et sic comprehendit, non solum furtum proprie sumptum, sed rapinam, plagiatum, imò omnem injustam damnificationem; quia acceptione ponitur latè pro omni injusta rei alienæ contrectatione. Sumitur 2. Furtum strictè & proprie. Pro quo

Dico 1. (Ib. a.) Furtum strictè & simpliciter dictum, Est occulta rei alienæ acceptio: plures addunt, Domino rationabiliter invito. Explicatur: (Ibid. ad 2.) dicitur Acceptio, sub qua intelligitur detentio, quia detinere id, quod alteri debetur, eandem rationem nocumenti habet cum acceptione injusta: & qui detinet rem alienam, dum potest & debet reddere, censetur moraliter accipere; & ideo furtum committit, qui non restituit, cum possit & debent, mutuum, commodatum, depositum, &c. Et hæc particula Acceptio tenet locum generis; quia per eam furtum simplex convenit cum rapina, plagiatu, & cum omnibus aliis acceptionibus rei alienæ, quæ non sunt furta. Dicitur 2. Acceptio occulta, nimirum respectu domini, aut illorum, quibus rei custodia demandata est, idque ex intentione furantis; quare, si rem accipiat presentibus aliis, aut etiam forte præsentem domino, sed præter ejus cognitionem, est simplex furtum, & per hoc distinguitur a rapina, ut modo fustius dicam. Dicitur 3. Rei alienæ, (Ib.) id est, rei, quæ sit alterius vera & propria possessio, sive interm sit illius proprietarius, sive usufructuarius tantum, custos, aut depositarius. Unde, qui accipiat, quod est alterius non ut ejus possessio, sed vel ut pars, ut si membrum amputaret, vel ut persona conjuncta, ut si auferat filiam vel uxorem, non habet proprie rationem furti, sed vel mutilationis, vel raptus, aut adulterii, si auferat ad carnaliter fruendum; vel plagiatu, si ad vendendum, aut possidendum; quod ultimum tamè reducit ad furtum: imò foret proprie furtum, si persona ablata foret serva, quia est proprie possessio domini. E contra verò furtum committere (Ib. ad 3. & a. 5. ad 3.) saltè secundum quid, qui non propriam apud alterum depositam, aut alteri commodatam, locatam &c. furtim acciperet, quia, licet id, quod accipit, sit simpliciter suum, est tamè secundum quid alterius, scilicet quantum ad usum, aut custodiam; sicque furtim accipiendo gravat depositarium, aut commodatarium, qui privatur usu rei, vel qui tenetur ad restituendum, aut ad ostendendum se esse innocuum, unde peccat, & tenetur ad relevandum gravamen depositarii, vel commodatarii. Si verò rem suam injustè detentam, (Ib.) puta a fure, accipiat, ipsum quidem non gravat: cum iste non possit retinere, & ideo non tenetur illi quicquam restituere: peccat tamè contra communem justitiam, dum ipse sibi usurpat rei suæ jurisdictionem Juris ordini prætermisso, & ideo tenetur Deo satisfacere, & sedare scandalum, si inde ortum sit. Verum, secluso scandalo, non videtur ex hac parte grave peccatum, maxime cum usum receptum sit, inquit Sylvius, ut unusquisque rem suam, ubi eam invenit, accipiat, modo certus sit esse suam, & inde non sequatur scandalum; quod a tortiori verum est, ubi rem suam recuperandi non patet via

Juris; de quo latius infra, dum de compensationibus.

Additur: *Invito domino:* & hoc majoris explicationis ergo, siquidem sub *ly occulta* comprehendatur: ideo enim fur occultè accipit, quia est res aliena, & is, ad quem pertinet, non vult eam accipi. Additur itè: *Rationabiliter invito;* quia quantumvis sit invitus, si tamen sit irrationabiliter invitus, non fit ei injuria in ablatione rei, ideoque furtum non committitur: unde non est fur, qui à sæviente in hostem quantumvis invito auferit gladium, à blasphemante chartas, à se inebriante potum; neque furatur mulier, quæ à marito surripit pecunias in familiaris necessitates, aut in eleemosynas suo statui consentaneas; neque, qui rem alterius in extrema necessitate accipit: quia in his omnibus dominus est irrationabiliter invitus: sic etiam non furati sunt Israëlites, qui ab Ægyptiis invitis vasa tulerunt, mandante Deo.

Ultra furtum simplex, de quo hæc usquè, sunt quedam furta qualificata, quorum malitia augetur ex aliqua circumstantia: ab aliis vocantur species furti: & sunt *Sacrilegium*, quod est furtum rei sacræ, vel prophæ in loco sacro, de quo in materia de religione. *Peculatus*, quo quis ex bonis publicis aliquid surripit, aut in suos usus privatos convertit. *Plagiatu*, quo quis hominem sive liberum abducit in servitutem. *Abigatus*, quo quis furatur pecora in pasuis; ad quem reducitur furtum instrumentorum necessariorum ad culturam agrorum. In hoc crimen severius animadvertit Respublica; quia, cum hæc necesse sit sæpè relinquere in pasuis, vel in agris, horum furta non possunt nisi severiori poena cohiberi. Idem dic de furtis domesticis. Quidam addunt rapinam. Verum rapina non est furtum simpliciter qualificatum; nec potest dici species furti strictè sumpti, sed est species ab ipso condistincta. Unde

Dico 2. Furtum simplex & rapina sunt peccata specie distincta (Ib. n. 4.) Prob. (Ib. a.) Furtum & rapina ex hoc habent rationem peccati, quod sint rei alienæ acceptiones, involuntariæ ex parte illius, cui res subtrahitur; atqui diversa est ratio involuntarii in furto & rapina: ergo. Prob. Min. In furto est involuntarium negativè tantum & per ignoraniam, quatenus dominus non consentit; in rapina verò est involuntarium positivè & per violentiam, quatenus dominus positivè resistit, aut si fortè ex metu auferentis positivè resistere non audeat, saltè positivè dissentit: ergo.

Dices: Furtum & rapina differunt secundum occultum & manifestum; atqui in aliis generibus peccatorum occultum & manifestum non diversificant speciem: ergo. R. N. Cons. (Ib. ad 1.) Disparitas est, quod in aliis generibus peccatorum non attenditur ratio peccati ex aliquo involuntario sicut in peccatis injustitiæ, in quibus involuntarium ex parte illius, qui patitur injustitiam, ingreditur objectum specificum. Per se autè loquendo diversa est ratio involuntarii; dum ab aliquo res sua occultè auferatur, & diversa, dum manifestè, ut patet ex probat. conclusionis. In rapina igitur fit, ita dicam, duplex violentia, una metaphorica ipsi rei, quæ clamat ad dominum, altera propria ipsi domino. In furto autè prima tantum reperitur. Et ex his rectè definiti potest rapina, quod sit *injusta, seu violenta rei alienæ ablatio.*

Hinc inferes (Ib. a. 6. o. & ad 2.) raptos esse 1. viarum grassatores. 2. Principes, qui iniquis exactionibus populum opprimunt. 3. Qui operariorum mercedem defraudant, sive eam diutius detinendo, sive partem detrahendo, & illud peccatum dicitur in cælum clamare, Jacob. 5. 4. Dinastæ, qui bona communis, aut privatorum invadunt. 5. Fœneratores. 6. Qui, quæ legitime debent reddere, nolunt nisi interveniente lite, quo modo sæpè vexantur pauperes viduæ, & pupilli, qui prosequendæ liti sunt impares, & hoc est oppressio pauperum, quod etiam dicitur peccatum in cælum clamans. 7. Ex Catech. Rom. ad 7. Præceptum Decalogi raptoribus accensentur, qui decimas & vectigalia per potentiam, vel violentiam fraudant. 8. Judices, qui venialia habent judicia. 9. Creditorum fraudatores, qui dolosè foro cedunt, aut solvere nolunt, cum possunt. 10. Qui miseros debi-



tores solutioni impares immisericorditer urgent, & etiam pignora, quæ ad tuendum eorum corpus sunt necessaria, auferunt. 11. Secundum SS. Patres etiam raptores sunt, qui in frugum inopia comprimunt frumenta, faciuntque sua culpa, quod carior sit annona; quod currit in omnibus rebus ad victum & vitam necessariis.

Dico 3. (Ib. a. 9. o.) Rapina est peccatum gravius furto. Prob. 1. Rapina & furtum habent rationem peccati propter involuntarium, quod est ex parte illius, qui aliquid auferitur, ut dictum est; atque magis est involuntarium per violentiam, ut est in rapina, quam per ignorantiam, ut est in furto. 2. (Ib.) Per rapinam non solum inferitur alicui damnum in rebus, sed etiam inferitur injuria personæ illi vim inferendo, quod fraudi & dolo, quæ pertinent ad furtum, præponderat. 3. (Ib. ad 3.) Quamvis pluribus nocenti per furtum, quam per rapinam, tamen graviora nocentia possunt inferri per rapinam, quam per furtum: unde etiam ex hoc capite est detestabilior rapina.

## ARTICULUS II.

*Utrum furtum sit peccatum mortale ex genere suo?*

**O**mnis furtum esse peccatum, constat ex duplici capite, (Ib. a. 5. o.) 1. quidem propter contrarietatem ad justitiam, quæ reddit unicuique, quod suum est. 2. Ratione doli, seu fraudis, quam fur committit, occulte & quasi ex insidiis rem alienam usurpando: unde septimum præceptum Decalogi est: *Non furtum facies. Ex 20.* Quantum autem sit peccatum ex genere suo, an veniale, an mortale? Quæstio est.

Dico: Furtum est peccatum mortale ex genere suo. (Ib. a. 6. o.) Prob. 1. (Ib. in a. s. c.) Zach. 5. dicitur: *Hæc est maledictio, quæ egredietur super faciem omnis terræ, quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur: id est, condemnabitur.* Et 1. ad Cor. 6. *Neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Prob. 2. (Ib. o. & a. 5. o.) Peccatum mortale ex genere suo est, quod contrariatur charitati, secundum quod est spiritualis anime vita; atque furtum contrariatur charitati, item & justitiae, in quantum inferitur nocuum mentum proximo in rebus suis; & si homines passim sibi furerentur, periret humana societas: ergo furtum est peccatum mortale ex genere suo, hoc est, sistendo intra limites sui objecti. Non enim, quod bene advertas, furtum dicitur peccatum mortale ex genere suo, quasi sit semper peccatum mortale, potest enim fieri veniale ex multis capitibus, ut modo dicam; sed dicitur mortale ex genere suo (idem dic de aliis peccatis) quia sistendo intra limites sui objecti, absque eo quod transeat in aliam speciem, potest esse mortale, ut accidit quando materia furti est notabilis: sicut dicitur peccatum veniale ex genere suo, quod, sistendo intra lineam sui objecti, non potest esse mortale, absque eo quod transeat ad aliam speciem; v. gr. mendacium, quantumvis sit, est semper veniale, nisi superaddatur alia species malitiae, puta quod sit proximo perniciosum.

Potest ergo furtum, quod est ex genere suo peccatum mortale, fieri veniale ex duplici capite. 1. Ex levitate materiae. 2. Ex indeliberatione actus; quod tamen raro contingit quantum ad furtum exterius. 3. Ex ignorantia leviter culpabili, quod res sit aliena. 4. Ex hoc quod dominus non sit inventus quoad substantiam rei, quæ auferitur, sed quoad modum auferendi tantum, puta quod occulte aut sine licentia auferatur. 5. Ex hoc quod non sit multum invitatus quoad substantiam; sicut enim, si nullo modo esset invitatus, non foret peccatum, ita si non multum invitatus, non erit grave peccatum. Et ex his duobus ultimis capitibus sæpe excusantur a mortali filii familias, domestici, religiosi, qui poculenta & esculenta surripiunt; de quibus infra. Et e contra furtum, quod est leve ratione parvitas materiae, potest fieri mortale. 1. Ex intentione furandi aliquid grave; nam, si sis paratus furari, quidquid occurrerit, aut si furando hodie quinque asses intendas sic quotidie furari, & inde discedere, quolibet furto, quamvis secundum se levi peccat mortaliter ratione pravæ intentionis. 2. Dum præsuppositis pluribus levibus furtis complex, licet in re levi, materiam sufficientem ad peccatum mortale. 3. Dum ex furto rei levi sequuntur gravia incommoda, quæ potuerunt & debuerunt prævideri, v. gr. quod infameretur tua familia, quod dominus rei in iram, aut blasphemias excandescat, aut merore conficiatur, quod ob ablatam rem suam non possit sibi necessaria comparare; ut posses contingere, si in navi fu-

rareris à sartore acum, ubi aliam reperire non posset. In his tamen ultimis casibus peccatum non est mortale in ratione furti, sed in ratione vel injuriæ, vel scandali, vel injuste damnificationis, quæ proprio nomine caret. Unde, si esset lata excommunicatio in furantes rem notabilem, non incurreretur in his ultimis casibus, sicut nec in primo.

Dices contra conclus. Prov. 6. dicitur: *Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit: ergo. R. (Ib. a. 6. ad 1.)* Quod furtum dicitur illic non esse grandis culpa duplici ratione. 1. Quidem propter necessitatem inducentem ad furandum, quæ diminuit, vel totaliter culpam; ut infra patebit: unde ibidem subditur, *furatur enim, ut esurientem impleat animam.* Alio modo dicitur furtum non esse grandis culpa per comparationem ad reatum adulterii: unde etiam ibidem subditur de fure, quod *deprehensus redet septuplum... qui autem adulter est, perdet animam suam.*

Dices iterum: Peccatum maxime mortale non cadit sub præcepto divino, sed Deus præcepit Hebræis furari vasa Aegyptiorum: ergo. R. (Ib. a. 5. ad 1. & 1. q. 94. a. 5. ad 2.) Non esse furtum, quod quis surripit mandante Deo, qui est supremus omnium dominus. Hæc enim dedit Hebræis tamquam mercedem laborum suorum juxta illud Sap. 10. *Reddidit Deus justis mercedem laborum suorum.*

Utrum verò, qui furatus est, continuo peccet, donec restituat; & utrum sint plura peccata, an unum tantum continuatum, require supra Art. 15. de Restitut. Peit. 2. 3. & 4.

## ARTICULUS III.

*Quæ quantitas requiratur ad furtum mortale?*

**M**ulti quantitatem requisitam ad furtum mortale determinant respectu ad personas, a quibus res auferuntur, ita quod, si quis furetur a divite, plus requiratur, ut peccet mortaliter, quam si fureretur à paupere. Alii eam determinant absolute independentem à paupertate, vel divitiis illius, à quo res auferitur. Quod hic dicimus de quantitativa requisita ad furtum mortale, idem est dicendum de injusta damnificatione.

Dico 1. Probabilis nobis videtur, quantitatem requisitam ad furtum mortale non esse determinandam respectu ad paupertatem, vel divitiis personarum, à quibus res surripitur, sed absolute. Prob. Quod persona, a qua res surripitur, sit dives, vel pauper, est quid extrinsecum furto; atque nihil extrinsecum furto illud aggravat, aut minuit in ratione furti: ergo. Prob. major: Furtum, ut in ejus definitione patet, est ablatio rei alienæ invito rationabiliter domino; atque, quod à divite surripitur viginti quinque asses, non minus accipitur de re aliena, quam si acciperentur à paupere, neque dives est minus rationabiliter invitatus, quam pauper, quia est invitatus secundum proportionem & exigentiam materiae, sicut ipse pauper. Unde sistendo in ratione furti præcisè, utriusque fit æqualis injuria, & æquale inferitur nocuum mentum. Quod si forte pauper videatur magis invitatus, hoc non est ratio ne nocuum mentum rei ablatæ, quod est intrinsecum furto; alioquin non foret rationabiliter invitatus, cum foret invitatus ultra proportionem & exigentiam materiae ablatæ; sed ratione nocuum menti sequentis ex re ablata, quod est extrinsecum furto, puta quod inde debeat esurire, magis laborare, debitis onerari, quod moveatur ad iram, blasphemiam, &c. ergo. Confirmatur. Si ratione nocuum menti sequentis ex re ablata deberet determinari quantitas materiae ad furtum mortale, quinquaginta aurei ablati a Rege vel opulentissimo non sufficerent ad peccatum mortale, & sex aut septem asses ablati a paupere sufficerent; quia plus nocuum menti extrinseci patitur pauper ex ablatione sex, aut septem assium, quam Rex, aut opulentissimus ex furto quinquaginta aureorum. Falsum consequens, nec admissum ab adversariis: ergo.

Potest tamen contingere, quod valde dives sit minus invitatus respectu æqualis furti, etiam quoad damnum intrinsecum, quam pauper, adeoque quod furtum æquale sit respectu divitis minus peccatum etiam in ratione furti, quam respectu pauperis. Verum id accidit, non præcisè quia est dives, sed quia cum sit dives, non multum curat amissionem viginti, aut viginti quinque assium. Porro dixi supra, furtum ex se mortale leviter invitatus. Verum non sic semper res se habet: experientia enim docemur divites sæpe non minori cura suis rebus invigilare, quam pauperes. Unde, dum sunt invitati pro exigentia materiae à pauperes, sunt rationabiliter invitati, & furtum respectu illorum non est minus peccatum in ratione furti, quam res-

pectu pauperum. Ex his colliges, non obstante conclusione nostra, Penitentem teneri explicare in Confessione, an a paupere, vel a divite furatus fuerit; 1. Propter nocuum menta extrinsecum, quæ sequi solent ex furto respectu pauperis. 2. Quia ut divites non sunt semper invitati; sicut pauperes, etiam respectu furti in se. Ex his bene intellectis solvantur objectiones.

Dico 2. Probabile est, materiam secundum se sufficientem ad peccatum mortale in ratione furti, respectu cujuscumque, esse id, quod est necessarium sustentationi diurnæ honesti viri, seu, ut alii dicunt, & in idem redit, stipendium diurnum boni operarii; hoc est in his partibus 20. aut 25. asses gallici circiter. Prob. Quia, cum materia furti non sit determinanda respectu ad personas pauperes, vel divites, ut dictum est, sed sit absolute gravis, aut levis, videtur, quod, qui acciperet a paupere 20. aut 25. asses circiter in his partibus, peccaret mortaliter: ergo etiam si a quocumque auferat. Adde, quod labor diurnus boni operarii, aut vicarius diurnus honesti viri censetur apud vulgares quid notabile: ergo & summa alterutrius correspondens. Confirm. Qui quantitatem furti mortalis metiuntur ex paupertate, vel divitiis personarum, assignant plerumque numerum argenteum pro divite, & 10. asses pro paupere: ergo medius inter utrumque tuto incedit, qui 25. circiter asses pro unoquoque assignat.

Dixi 1. in conclusione 20. aut 25. asses in his partibus: quia, ubi frequenter est pecunia & carior annona, plus requiritur; & e contra minus, ubi rarior est pecunia & vilioris pretii annona. Dixi 2. 20. aut 25. asses circiter: quia hæc materia non potest mathematicè determinari, sed moraliter; non secus ac pretia mercium, quæ admittunt latitudinem. Et sanè ridiculum foret asserere, eum, qui furatur 25. asses, peccare mortaliter, & illum, qui furatur 24. peccare venialiter. Neque mirum videri debet, si difficile sit præcisè discernere inter furtum mortale & veniale. Quamvis enim in prima secunda statuatur Regula, quibus mortalia a venialibus genericè loquendo distinguantur; si tamen quæstio sit de particularibus casibus, id inquit Aug. 1. de Civit. cap. ultimo, non solum in hoc materia, sed in pluribus aliis difficilium est insonare, periculosisimum de fure: ergo certè usque ad hoc tempus, cum inde satagem, ad eorum iudicium pervenire non potui. Et fortassis præcipere latere, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat.

Non ergo præsumant animarum Directores ad singulos & individualis casus certè resolvere: hoc est mortale, hoc est veniale, nisi id aperte constet; sed plerumque expediat cum Aug. suam ignorantiam fateri. Et dum ea de re à Penitentibus interrogantur, prudenter respondent absolutam declinent, illisque omnium peccatorum etiam venialium horrorem incutiant.

## ARTICULUS IV.

*De Furtis minutis.*

**Q**uestio est, utrum in furtis minutis possit esse peccatum mortale, quomodo, & quando? quod jam leviter attingi Art. 2. & nunc accuratius est discutiendum. Pro quo Dico 1. Qui ex intentione discedendi; seu notabilem quantitatem surripienti, sæpe quid leve furatur, singulis quolibet furtum est executio continuata. Est communis & certa. Non tamen tot sunt numero distincta peccata mortalia, quot sunt minuta furti, sed unum continuatum; quia in una & eadem intentione morali inveniuntur, vi cuius furatur, & cuius sunt, ut dixi, continuata executio. Nisi forte fuerit revocata intentio, tunc enim toties peccatur distincto peccato mortali, quoties revocata intentio resumitur.

Dico 2. Qui sine intentione notabilem quantitatem surripienti sæpe quid leve furatur, non peccat mortaliter singulis furtis, sed ultimo, quo sciens & reflectens saltem confusa ad præcedentia furti complet materiam sufficientem ad peccatum mortale. Ita communis contra Lessium, qui negat ultimum furtum esse mortale, concedit tamen furantem ultimum peccare mortaliter, non ratione furti, seu acceptationis, sed ratione detentionis summe notabilis. Nihilominus.

Prob. conclusio: quia, licet istud ultimum furtum secundum se & absolute consideratum sit leve, tamen consideratum cum habitudine ad præcedentia, quibus connequitur, est quid grave, gravem nimirum complet materiam, & grave damnum inferens proximo: ergo. Confirmatur 1. Qui advertit, se mox surripuisse a Petro 20. as-

ses, pergit nihilominus furari quinque alios, ultimo furti, quamvis in se levi, peccat mortaliter: quia ut supponit complet materiam notabilem, & conjungitur mortaliter cum præcedentibus: ergo similiter, qui, dum advertit se distinctis diebus furatum fuisse 20. asses, hodie alios 5. furatur. Confirm. 2. Juxta Lessium & rei veritatem, qui plura minuta furatur consecrancia in summam notabilem, restituit sub mortali restituere saltem illam partem, quæ restituit summam notabilem. Unde hæc propositio damnata est ab Innocentio XI. *Non tenetur quis sub pena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furti, quantumcumque sit magnum summa totalis.* Est 38. 33. atque cuius detentionis est mortalis, ejus ablatio fuit, aut saltem potuit esse mortalis: ergo.

Dices: plura peccata venialia nunquam faciunt mortale ergo. Neque in nostra Sententia plura peccata venialia facere mortale, sed ultimum furtum, quod secundum se est veniale, ut conjunctum præcedentibus fit mortale. Neque id solum verum est in materia furti, sed & in recitatione Horarum, in observantia jejunii, & in omnibus illis materiis, in quibus actus multiplicati habent connexionem in materia, aut in effectu secuto.

Replicabis: Furtum ultimum est ejusdem rationis cura præcedentibus, nec plus quam illa nocet: ergo. R. Antecedens esse verum, si istud furtum consideretur seorsim & ex objecto; secus, si consideretur ex circumstantiis, nempe ut præsupponens priora & cum illis junctum; sic enim complet materiam notabilem, & infer grave damnum, quod præcedentia non faciunt.

Dixi in conclus. *quo sciens & reflectens saltem confusa ad præcedentia furti*: quia, si nullatenus adverteret, non peccaret mortaliter ultimo furti, quia non convinceretur velle furari, aut detinere summam notabilem, & ultimum furtum non conseretur formaliter connexum cum præcedentibus. Si tamen postea advertat, se surripuisse summam notabilem, peccabit mortaliter ratione injustæ detentionis, nisi statim restituat, aut proponat restituere prima opportunitate.

Petos, utrum, qui, completa materia notabili per ultimum furtum, puta per nonnum, aliud decimum etiam levo adjicit, peccet adhuc mortaliter hoc decimo furti? R. Quidam negant; qui volunt, hoc decimum furtum non complere materiam notabilem, quæ jam est completa per nonnum, sed vel inchoare novam summam gravem, vel præsentem leviter tantum aggravare. Alii affirmant; quia dicunt materiam notabilem non compleri terminative per nonnum furtum, sed compleri per quocumque furtum adjectum: sicut, inquit, qui comedit plures carnes die verito, non solum peccat mortaliter, quando pervenit ad quantitatem notabilem, sed etiam quoties postea comedit carnes, quamvis in parva quantitate. Caterum pro praxi conveniunt utriusque Sententiæ patroni, hunc peccare mortaliter decimo furti ratione intentionis, quam censetur innovare detinendi injustam summam notabilem.

Sed quid, si expressè illam intentionem excludat, formando propositum restituendi prima opportunitate priora furti? Eadem quæstio fieri potest de novo furto primo complemte materiam notabilem. R. Rarum admodum esse, ut, qui nunc furatur 5. asses, habeat de facto sincerum animi restituendi 20. quos prius furatus est. Sed hoc dato, videtur, quod neque per nonnum neque per decimum furtum peccet mortaliter, quia per sincerum restituendi propositum videtur abrupta continuatio furtorum præcedentium cum sequenti, ita quod non censentur amplius connexa formaliter, nec materia sequentis furti censetur accrescere præcedenti, sed manere per se sola & venialis. Neque dici potest, quod peccet mortaliter ratione saltem injustæ detentionis, siquidem, ut suppono, habeat propositum restituendi prima opportunitate priorum summam.

Dico 3. Utraque conclusio præcedens vera est, etiam si quis a diversis minuta fureretur; major tamen tunc requiritur quantitas ad peccatum mortale, quam si fureretur ab uno tantum. Quantum ad 1. partem; nempe, cum quis ex intentione discedendi aliquid leve furatur sæpius a diversis, peccare mortaliter singulis furtis, videtur extra dubium, cum hæc minuta furti participant malitiam mortalem intentionis, ex qua proficiunt, & cuius sunt executio, ut dictum est. Confirmatur 1. Quia alioquin caupones, alii mercatores, qui diversis vendunt merceres adulteratas, aut sive emendo, sive vendendo utuntur ponderibus & mensuris falsis, non peccarent mortaliter contra expressa sacre Scripturæ testimonia Prov. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Deum,* Et Deut. 25. *Non habebis in saccula diversa pondera, majus & minus...*



inhabitat enim Deus cum, qui hoc facit. Confirma. 2. Si talis modus dicescendi graviter non prohiberetur, sequeretur eversio Reipublice & societatis humane, dum omnes absque scrupulo peccati mortalis, neglectis artibus & commerciis, huic uni dicescendi medio vacarent. Itaque furti mortalis accusandi sunt, non solum cauponas & mercatores, de quibus supra, sed etiam operarii, qui materias operum sibi traditas solent sibi retinere, prodigere, vendere, donare, maxime sartores, quibus familiare dicitur fragmenta panni adhuc pretio aestimabilia, & non pro derelictis habita, sibi reservare. Item, qui solent extorquere nimium stipendium, aut infra illud parcere labori.

Quantum ad 2. partem, cum scilicet, qui seclusa intentione dicescendi furatur minuta a diversis, peccare mortaliter ultimo furto complecte materiam notabilem, videtur communiter contr. Navarr. in Man. c. 17. n. 139. & Toletum. Ratio est 1. Quia ille revera rem notabilem surripit, etsi a diversis. 2. Quia, licet illa minuta furta non noceant graviter singulis seorsim sumptis, graviter tamen nocent omnibus collectivè sumptis; & hoc sufficit, ut peccet mortaliter. Confirmatur: qui ex cumulo conflato ex plurim granis simul & semel furaretur plures modios tritici, peccaret indubie mortaliter, & tamen non noceret graviter singulis seorsim sumptis, sed omnibus collectivè sumptis, seu multitudini damnificatorum: ergo similiter in nostro casu.

Quantum ad 3. partem, nempe, tunc majorem requiri quantitatem ad furtum mortale, quam si surriperetur ab uno, pater; quia tunc omnes & singuli domini non tam grave damnum patiuntur, ideoque sunt minus iniuri. Similiter plus requiritur, quando quis ab eodem diversis vicibus & per intervalla furatur, quam si simul & semel, eadem ratione quod damnum sic interpolatum vix sentiat dominus, ideoque minoris illud aestimet, estque minus iniurius. Neque refert, quod, qui a diversis, vel ab eodem per intervalla surripit 25. asses, tantum retineat de alieno, quantum, si simul & semel ab eodem surriperet; quia, quamvis sit equalis summa, minoris tamen aestimatur, ut dixi, & ideo circa illam minus est iniurius dominus. Imò potest tantum esse intervallum inter minuta furta, sive eidem, sive diversis facta, ut mortaliter loquendo non censeantur connexa, nec proinde quantumvis multiplicata componant gravem materiam: ut si hoc anno fureris 5. asses, anno sequenti iterum 5. & sic annis sequentibus usque ad summam notabilem, non ideo peccabis mortaliter ultimo furto; quia propter nimiam interpolationem non censetur mortaliter circa totam summam graviter iniurius. Ita plures Theologi. Ceterum suppono, semper abesse animum per illa minuta furta dicescendi. Que vero major quantitas requiratur ad furtum mortale, quando minuta surripiuntur a diversis, aut ab eodem per intervalla? quidam requirunt duplum, alii plus, alii minus: ad nos iudicio prudentium remittimus, attentis temporum intervallis majoribus, vel minoribus, lesarum personarum multitudiue, & aliis circumstantiis.

Petes, utrum, qui summam notabilem per minuta furta accipit, teneatur sub mortali totam restituere? R. Negative; sed ut sit immunis a peccato mortali injuste detentionis, sufficit restituere id, quod complet materiam requisitam ad furtum mortale; quia hoc restituito non est sufficiens materia furti, aut detentionis mortalis. Meminerint tamen Confessarii obligare Penitentes ad restitutionem omnium etiam minimorum furtoorum; sic enim a majoribus efficacius deterrentur. Quomodo autem furtoorum minorum, dum fiunt diversis, sit facienda restitutio, dixi de restit. in genere art. 14. §. 2.

Alteri & specialis difficultas posset hic proponi, an, dum plures per minuta furta grave damnum alicui inferunt, singuli peccent mortaliter, & teneantur sub mortali suum leve furtum restituere? pro quo vide de restit. in genere art. 14. §. 6. n. 3. & 4.

ARTICULUS V.

De furtis Parentum, Filiorum, Conjugum, Religiosorum & Domesticorum.

Suppono ex hac usque dictis, duo requiri ad rationem furti mortalis, scilicet quantitatem notabilem rei alienae, & quod dominus sit rationabiliter iniurius. Potest autem dominus esse iniurius, vel quoad substantiam rei acceptae, quia non vult absolute ea privari; vel quoad modum acceptionis, quia, licet consentiat ea privari, displicet tamen modus acceptionis, puta quod clam & sine licentia

accipiat: sic censetur iniurius, qui rogatus annueret; quo casu accipiens nec furtum committit, nec regulariter peccat mortaliter.

Dico 1. Furti lethalis rei sunt cum onere restituendi, 1. Parentes, qui ex bonis, quorum filii habent dominium & administrationem, ut sunt castrensis & quasi castrensis, partem notabilem ipsis iniuriis surripiunt: quia revera rem alienam surripiunt, invito rationabiliter domino. Neque dicas, filios nunquam esse iniurios respectu Parentum, id enim plerumque falsum est, licet forte filii ex metu reverentia contradicere non audeant.

2. Filiofamilias, qui quantitatem notabilem ex bonis familiae surripiunt, aut dilapidant; quia bonorum Patris non sunt actu domini, sed in spe tantum, seu ut dicit S. Doctor (Ex 4. d. 3. q. 2. a. 5. q. 2. ad 1. & hic q. 32. a. 8. b. & ad 4.) quamvis filiofamilias sit heres, non tamen est dominus rerum. Unde Prov. 18. dicitur: Qui subtrahit aliquid a patre suo & matre, & dicit hoc non esse peccatum, participes est homicidae. Teneatur ergo filiofamilias sic ablata restituere Parentibus; quod si non possit, teneatur ea computare in partem sua hereditatis, nisi constet, alios coheredes tantumdem surripuisse, aut Patrem de facto remissis; non enim sufficit, ut quidam dicunt, quod rogatus remiserit, sed requiritur, quod reipsa remiserit, & etiam quod remittere potuisset absque iniuria aliorum filiorum, hoc est, salva eorum portione legitima. Hinc inferes, graviter esse culpandos, atque restitutioni obnoxios filiofamilias, non solum dum pecunias, aut mobilia a Parentibus surripiunt, pretium mercis vendit, aut partem retinent, debita a parentibus solvenda contrahunt, a debitoribus Parentum, quae debent, extorquent &c. sed etiam dum, missi ad studia, aut ad aliquam artem ad discendam, pecunias sibi traditas ad libros comparandos, ad pensionem solvendam, ad Theses propugnandas, aliaque necessaria, expendant in computationes, scortationes, lusus, & alia illicita, vel vana; praesertim, si Parentes sint mediocri fortunae, & pace vivant, ut filio promovendo subvenire possint: quod addo; quia, si Parentes sint opulenti, & multa in profolio educationem profuse expendere soleant, iuxta quosdam Auctores non praesumuntur imponere filiis suis strictam obligationem Justitiae eas pecunias secundum fidem praefatum expendendi, neque strictè eos obligare ad restitutionem; quod patet ex eo, quod, si ultra necessitas pecunias & in superfluos usus expensas ulterius debita contrahant, ea solent solvere Parentes, & pecuniarum male expensarum restitutionem remittere. Ceterum advertet; filiofamilias habere jus ad necessaria victui & amictui, quae si Parentes avari recusent, possunt filii absque peccato accipere: caveant tamen, ne sibi mentiar iniquitas, & ne vanitates, aut cupidias pro necessariis reputent.

3. Maritus, qui de bonis paraphernalibus, aut dotalibus uxoris aliquid notabile detraxit, aut dissipat, invita uxore: quia paraphernalia sunt uxoris quoad dominium & administrationem, & dotalia quoad dominium; unde hinc potest maritus uti & frui, quia horum habet administrationem & usum, sed salva eorum substantia. Quantum vero ad bona communia, cum secundum Jus commune: uxor habeat dominium medietatis, illi injurius est maritus & restitutioni obnoxius, si illa prodigè dissipet. Habet quidem omnium administrationem, & consequenter jus illa vendendi, de illis contrahendi, lucro vel amissioni exponendi in negotiationibus; at non donandi, dissipandi, & dilapidandi, imò nec pro magna quantitate ludo exponendi invita uxore: quia, quamvis ludus sit contractus ad lucrum, vel iacturam, ut aliae negotiationes, experientia tamen constat aleatores plerumque ad mendicitatem redigi; unde uxor est rationabiliter invita. Ita, inquam, attento Jure communi; sed huic Juri videtur derogare Consuetudo Leodiensis c. 1. n. 1. ubi statuitur, quod Maritus per matrimonium fiat absolute dominus omnium bonorum mobilium & immobilium uxoris, & omnium acquisitionum durante matrimonio: ipsamque habere potestatem de iis disponendi licet viros tanquam de propriis absque consensu uxoris, nisi aliter conventum fuerit.

4. Uxor (Ib. q. ad 1.) quae absque consensu, saltem praesumpto, Mariti aliquid notabile surripit de bonis familiae: quia, licet, ut dixi, habeat dominium dotalium & medietatis communium, horum tamen omnium administrationem & usumfructum habet maritus. Nec refert, quod pupillus sub Tutore surripit aliquid de bonis propriis non sit reus furti; disparitas est enim, quod Tutor habeat administrationem bonorum pupilli, non in suum, sed in pupilli commodum, ut maritus habeat administrationem bonorum communium & dotalium, non tantum in commodum uxoris,

uxoris, sed etiam in suum commodum, & totius familiae, cujus cura ipsi incumbit; unde tali surreptione laeditur jus mariti: restituet autem uxor meliori quo poterit modo, si eibus diximus in casu adulterii. Sunt tamen plures casus, in quibus uxor disponens de bonis familiae non peccat. 1. Si bona administrat, & familiam regat, sive consentiente marito, sive absente, sive aegroto, sive amente, sive inepto, vel alia de causa impedito; quo casu ipsa potest quod ipse. 2. Si clam accipiat de bonis familiae ad solvenda debita, ad sustentationem, & decentem statum familiae, ad honestas recreationes, eleemosynas, donationes maxime remunerativas, suo statui proportionatas, & secundum probatam consuetudinem faminarum suae conditionis, ad avertendum familiae, vel mariti damnum sive temporale, ut fecit Abigail 1. Reg. 25. vel spirituale; ad succurrendum praeter consuetas eleemosynas parentibus, prolihus ex primo matrimonio, fratribus, & sororibus indigentibus; quia in his omnibus maritus foret irrationabiliter iniurius, repugnante nimium recta ratione, & Jure divino, quo mulier data est, non in servam, sed in adiutorium viri, atque assumpta in societatem conjugalem, propter quod non de capite, neque de pedibus viri formata est, sed de latere, inquit Aug. de bono conjugali c. 1.

5. (Ibid. q. 4. & hic q. 32. a. 8. ad 1.) Religiosi, non solum reatum furti lethalis, sed & proprietatis contra votum incurrunt, si de bonis communis aliquid grave surripiant, aut ex sibi donatis retineant, invito Praelato; quia, licet sint Monasterii partes ac membra, sunt tamen per votum paupertatis omnis proprietatis incapaces; & ideo quidquid surripiunt, consumunt, donant, aut retinent invito Praelato, furtum est, & actus proprietatis.

6. Tandem domestici furtum etiam mortale committunt, & teneatur ad restitutionem, dum aliquid notabile ex bonis domini accipiunt; quia accipiunt alienum, invito rationabiliter domino, & eo graviter peccant, quod res domesticae eorum custodiam, ac fidelitatem sint commissae.

Notandum tamen, quod tam domestici, quam Religiosi, & Filiofamilias regulariter excusentur a mortali, dum modica, & communia exculenta, aut poculenta in proprios usus accipiunt, etiam successivè perveniant ad summam, quae in rebus permanentibus sufficeret ad peccatum mortale; quia respectu talium furtoorum Domini, Parentes, aut Praelati non censentur regulariter iniuri quoad substantiam, sed quoad modum tantum; quandoquidem regulariter concederet, si peterent. Dixi: regulariter; quia contrarium potest contingere, cum id pendeat ex voluntate domini. Quapropter si voluntatem contrariam explicent, aut si praesumatur, illi standum est. Dixi etiam: Modica communia in proprios usus; quia, si surriperent simul, & semel magnam quantitatem, aut successivè quidem, non tamen in actualem usum, sed in futurum reservandam; item, si sumerent ad dandum aliis, vel vendendum; item, si pretiosa, & domini reservata, ut in his partibus vinum; peccarent mortaliter cum onere restituendi, cum pervenerint ad eam quantitatem, quae in aliis rebus sufficeret ad mortale: quia in his censetur Pater, Dominus, aut Praelatus rationabiliter iniurius, non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiam. Idem censeo, si furta haec quantumvis modica ita multiplicentur, & enormiter excrecent, ut in admodum grave familiae, vel communitatis detrimentum vergant: unde a mortali non videtur excusandus famulus, Religiosus, aut Filiofamilias, saltem mediocri conditionis, qui quotidie furaretur in sculentis, aut poculentis valore 4. vel 5. assium.

Dico 2. In furtis quibuscumque Parentum, Filiorum, familiae, & Conjugum major requiritur quantitas ad peccatum mortale, quam in furtis extraneorum. Quia Parentes respectu Filiorum propter in eos amorem, & pietatem, Filii respectu Parentum similiter propter in eos pietatem, amorem, & observantiam, maritus respectu uxoris, uxor respectu mariti propter mutuam amorem, & obsequium, minus sunt iniuri, ac involuntarii, quam si res suae ab extraneis surriperentur; nec volunt ita strictè jus suum servari respectu talium, quam respectu extraneorum. Quod si quandoque videantur graviter succensi, praesertim Parentes in filios, plerumque id accidit non tam ratione rei acceptae, quam modi, vel abusus. Adde, quod sicut in spe domini bonorum paternorum, & uxoris habeant actu dominium medietatis bonorum familiae.

Porro, quae requiritur in his quantitas ad furtum mortale? Varii variam assignant. Nos ut ante existimamus id esse meritandum iudicio viri, vel Confessarii praedentis, qui, attentis circumstantiis, liberalitatis, vel avaritiae, amicitiae, vel alienationis, opulentiae, vel paupertatis illius, Theol. Billuart. Secunda deinde.

a quo res surripitur; item meritum, vel demeritum illius, qui surripit; aliisque similibus circumstantiis judicare poterit, an & quando rei dominus sit, vel non sit, sit plus, vel minus iniurius. Ceterum generaliter loquendo non puto a vero aberrare eos, qui dicunt in his furtis ad peccatum mortale requiri duplo magis, quam in furtis extraneorum.

Quidam idem censent de furtis domesticorum, & Religiosorum. Verum si loquamur non de usu consumptibilibus, ut sunt poculenta & esculenta, de quibus supra, sed de rebus permanentibus, ut sunt pecuniae, suppellectilia, & similia, non video, qua ratione in his requiratur major quantitas; saltem pro domesticis, quam pro extraneis; quia domestici nullum habent jus sive in re, sive in spe, ad illas res. Insuper, ut jam notavi, res domesticae sunt illorum fidelitatis, & custodiam commissae, ita quod illorum furtis vix obviare possit dominus; unde graviter puniuntur furta domestica, quam extranea; unde graviter puniuntur censendus est ad minus aequè iniurius circa illa, ac circa extranea.

Quantum ad Religiosos major est difficultas; quia ex una parte sunt in Monasterio quasi Filiofamilias, imò sunt communitatis, ad quam pertinent bona, parces, & membra: Sed ex altera parte propter votum paupertatis nunquam erunt illorum bonorum domini, sicut filiofamilias; & si tanta in eis requiratur quantitas, quanta requiritur in filiofamilias, cum plures solent esse in Monasteriis, gravi bonorum communium dissipationi janua aperiretur; quibus de causis probabile est, Praelatum non esse minus iniuriam respectu illorum, quam respectu extraneorum.

Pro Coronide petes, quid sit censendum de famulis villicorum, qui ovibus, jumentis, bobus, &c. plus alimenti tribuunt, quam taxaverit dominus? R. Si meliorerit peccora proportionatè ad damnum, quod patitur dominus ex augmento alimenti, non esse arguendos peccati mortalis, neque adstringendos ad restitutionem; secus, si inde grave damnum patiatur dominus.

ARTICULUS IV.

Utrum alicui liceat furari propter necessitatem.

Nota: (Hic q. 66. a. 7. a. & ad 2.) Cum furtum sit intrinsecè malum, nullo unquam casu est licitum; unde, dum quærimus cum Auctore, utrum liceat furari propter necessitatem, est impropria locutio, posito furtio pro acceptione rei alienae: igitur sensus quaestiois est, utrum liceat accipere alienum propter necessitatem. Triplex autem distinguitur necessitas: extrema, in qua vita periclitatur; gravis, in qua periclitatur sanitas, aut status: communis, quam passim pauperes patiuntur. De hac ultima non est difficultas: propter illam enim non licere surripere alienum, omnes conveniunt.

Dico 1. (Ibid. ad 3.) Licet accipere alienum, sive occultè, sive manifestè, ad subveniendum extremae necessitati propriae, vel alienae. Ita communiter cum Auctore. Prob. Cum Jure naturae omnia sint communia, & unusquisque habeat jus conservandi vitam res temporales, quas auctor naturae in hunc finem creavit non censetur homines huic Juri naturali renuntiasse per bonorum divisionem, quam ad pacem servandam induxerunt: unde in extrema necessitate, ubi agitur de vita, omnia iterum sunt communia, & qui in ea constitutus accipit de alieno, accipit quod suum est; seu melius accipit quod ex communi facti esse suum accipiendo, sicut contingebat ante bonorum divisionem; sicque non committit furtum proprie loquendo: quin imò vi auferre posset, & dominum se opponentem moderata defensione repellere. Exaempe tamen casum, quo Dominus ipse foret etiam in extrema necessitate; tunc enim melior foret conditio possidentis.

Quod autem hoc etiam sit licitum pro necessitate extrema alterius, patet; quia, quod ipse potest per se, potest per me. Suppono, quod non possim ex propriis, subvenire, alioquin non possem nisi injustè aliena rapere.

Petes 1. Utrum, qui petendo, vel mendicando potest suam extremam necessitatem sublevare, possit alienum surripere? R. negative; quia non videtur, quod Jus naturale concedat facultatem surripiendi alienum, nisi quando quis non potest aliter sibi subvenire; si enim possit, non censetur extrema necessitas: nisi velis, pati extremam necessitatem omnes illos mendicantes, qui nisi mendicarent, fame perirent.

Existimat tamen Lessius, & post ipsum quidam alii, quod secluso scandalo sit tantum peccatum veniale surripere in



hoc casu alienum; quia, inquit, est tantum inordinatio in modo: sive enim concedat dominus, sive non concedat, extreme indigens potest accipere; ideoque dominus non potest esse invitus quoad substantiam, sed quoad modum tantum. Id quidem verum est, si talis inder necessitas, ut non sit locus ab alio petendi cum spe probabili obtinendi. Sed, si uno recusante necessitas patitur alios audire etiam ostium mendicando, non video, quomodo possit dici extrema necessitas, qua quis cogatur alienum surripere, ut vitæ consulat. Scio plures aliter sentire de viro nobili, aut honorato, quem multum dedecet mendicare: at eorum Sententia nobis videtur periculosa in praxi. Rari sunt, qui non sibi valde indecorum reputant mendicare, unde multipliciter fures, & furta in destructionem Reipublicæ, & tranquillitatis communis. Videtur etiam minus vera; quia istud dedecus non facit extremam necessitatem, propter quam vitandam liceat alienum rapere.

Petes 2. Utrum ablata in extrema necessitate sint restituenda? R. 1. Si res ablata adhuc existat, indubie est restituenda; quia necessitas extrema non confert jus ad rem alienam, nisi in quantum est necessaria ad illum sublevandam. Unde, si ad vitandam mortem intentam usus es equo alieno, transacta necessitate debes illum restituere.

R. 2. Res, ablata & consumpta in extrema necessitate, ut panis, vinum, &c. non est restituenda, si indigens erat simpliciter pauper, etiam si ad pinguem fortunam perveniat. Secus, si erat tantum pauper secundum quid. Est communis. Voco pauperem simpliciter, qui neque actu habet bona hic, aut alibi, neque est in potentia propinqua ad habendum. Pauperem secundum quid, qui, licet non habeat hic bona, quibus jvari nunc potest, habet tamen alibi, aut est in potentia propinqua ad habendum per artem, aut expectatam hereditatem.

Prob. 1. pars. Quia iste indigens usps est jure suo, & rei acceptæ, quatenus erat sibi necessaria, dominium eam occupando acquisivit. Unde non tenetur illam restituere: neque ratione rei acceptæ, quia amplius non est, neque ratione acceptationis, quia non accepit per viam mutui, aut alterius contractus onerosi, neque per delictum, sed ut quid commune quod accipiendo fecit suum: ergo. Confirmatur. Si talis indigens peteret a divite, quod ipsi necessarium est in extrema necessitate, dives teneretur omnino gratia dare absque obligatione restituendi in posterum, ut nunc suppono ex dicendis de elemosyna: ergo non est, cur pauper talem obligationem sibi imponat. Et eo magis, quod aliquin improbitas divitis denegantis extreme indigenti subsidium ipsi foret utilis, ipsique redderet melioris conditionis, & pauperem pejoris, quod non est admittendum.

Prob. secunda pars. Quia in extrema necessitate bona non sunt communia, nisi in quantum sunt necessaria ad subveniendum necessitati: atqui in casu, quo is, qui patitur extremam necessitatem, non est simpliciter pauper, sufficit ejus necessitati ut accipiat alienum per modum mutui cum obligatione restituendi: nec dives tenetur aliter dare: ergo censendus est sic accipere.

Si dicas, hac ratione etiam probari pauperem teneri restituere; quia etiam sufficienter subvenitur ejus necessitati, si accipiat, ut detur per modum mutui. R. N. assumptum, & ejus probationem: quia simpliciter indigenti tenetur dives succurrere per elemosynam sine ullo ejus gravamine; tunc enim, aut nunquam, urget præceptum elemosynæ: secus, si secundum quid tantum indiget. Sicut ergo a ratione foret alienum atque inhumanum, si dives extreme indigenti, qui nec re, nec spe quidquam habet, erogaret elemosynam sub conditione reddendi, si aliquando dives evadat, ita rationi repugnat atque inhumanum est cogere talem pauperem ea, quibus in extrema necessitate indiget, accipere sub onere restituendi. Uno verbo pauper in casu est simpliciter in extrema necessitate, non in 2. Et hinc resolves, copias, quæ urgente fame surripiunt panes omnium pistorum alicujus Civitatis, teneri acceptis stipendiis eos solvere, aut Ducem pro illis. Utrum autem, qui rem ante necessitatem extremam furto abstulit, & in extrema necessitate consumpsit, teneatur eam restituere? Requiritur supra de Restit. in genere Art. 20. petit. 1.

Dico 2. (Ibid. o.) Non licet accipere alienum in necessitate indefinitè gravi; sed committitur arbitrio uniuscujusque dispensatio propriarum rerum, ut ex illis subveniat gravem necessitatem patientibus. Est nunc communis post damnatam ab Innoc. XI. hanc propositionem: *Permissum est furari, non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate.* Prob. insuper ex cap. *Si quis 3. de furto*

*si quis propter necessitatem famis, aut multitudine furatus fuerit cibaria, vestem, vel pecus, panem, aut hebdomadas tres: quem Canonem S. Th. (Ibid. ad 3.) & cum eo alii interpretantur de necessitate, quæ non sit extrema.*

Prob. ratione. Quia ex unanimi Doctorum sententia, & constante sensu Ecclesie in sola extrema necessitate, & non in gravi, omnia sunt communia. Et hujus ratio est quod, licet homines introducendo divisionem bonorum non renuntiant Juri naturali ex eis conservandi vitam in extrema necessitate, quia vita est bonum inter naturalia præstantissimum, & iste casus, utpotè raris, non est obnoxius inconvenientibus, de quibus modo; atque non potuerunt non renuntiare Juri succurrendi ex eis gravibus necessitatibus, propter frequentes, & graves abusus, qui ex illo Jure servato sequerentur contra bonum commune; & pacem inter homines. Cum enim frequentes sint, qui patiuntur gravem necessitatem, & qui non patiuntur, facile fingent, aut credent se illum pati, omnia furis, & furibus replerentur, si in tali casu liceret alienum rapere; ita ut divisio rerum, quæ fuit introducta propter tranquillitatem communem, huic nri non solum esset inutilis, sed prorsus exitiosa.

Dixi: *In necessitate indefinitè gravi*; quia sunt necessitates adeo graves, alii vocant gravissimas, ut vel extremam proximè attingant, vel in extremam facile desinant, vel extremam, moraliter loquendo, æquivalent, ut sunt dura servitium, durus & durissimus carcer, gravior morbus, poena tritimum, & similia; in quibus præbibile est, licere sibi per alienum succurrere: quia, cum hæc necessitates non sint frequentes, nec facilis abusus, ut sunt communiter graves, non est, cur Jus gentium inducens divisionem bonorum derogaverit Juri naturali his necessitatibus, sicut extremis, succurrendi per res temporales. Ità Sylvius & Less. post Angel. Navarr. Petrum Naverr. Sylvester. Vazquez, & alios: hancque Sententiam refert Perfector Tournelli ex Florentio Deceq, nec impugnat. Neque timeridum est, ne incurrat in propositionem damnatam, tum quia propositio damnata loquitur de necessitate indefinitè gravi; tum quia necessitas, de qua loquitur, moraliter loquendo æquivalent extremæ: licet tamen, in his contractio factio esse incedendum, ne detur locus abusus.

Ceterum videtur certum, (Art. 6. ad 1.) necessitatem quamcumque gravem saltem minuire peccatum, & eo magis minuire, quo gravior est. Ità etiam S. Raymundus l. 2. tit. 6. §. 6. *Si autem inquit, non patitur ita magnam peccat; attenuatur tamen peccatum propter necessitatem, & in tali sensu intelligitur decretalis: Si quis, &c. Unde secundum Layman non facile damnandus est peccati mortalis, qui a divite, præsertim ante rogato, clam auferit, quod ad gravem suam necessitatem necessarium est, cum tunc dominus debeat esse minus invitus. Insuper adverte, pauperes, gravem necessitatem patientes, posse recurrere ad Judices, sive Ecclesiasticos sive civiles, qui sua auctoritate cogunt divites ad elemosynas; quia, ut docet Navarr. obligatus naturalis æquitate, aut sola charitate ad faciendum aliquid, ad id Judicis officio compelli potest. Item adverte, quod licet gravis necessitas non sufficiat ad surripiendum alienum, sufficit tamen ad differendam restitutionem; quia strictius obligat præceptum negativum non furandi, quam positivum restituendi, ut dixi de Restit. in genere.*

Dices contra conclus. S. Th. non distinguit inter necessitatem & necessitatem: ergo. R. N. Ant. Postquam enim S. Doctor dixit generaliter, res temporales a divina providentia esse ordinatas, ut per illas subveniantur hominum necessitatibus; postea exponit diversos modos subveniendi secundum diversas necessitates; ait enim: (Art. 7. o.) *Sed quia multi sunt necessitates patientes, & non potest ex eadem re omnibus subveniri, committitur arbitrio uniuscujusque dispensatio propriarum rerum, ut ex eis subveniat necessitatem patientibus.* En pro necessitate gravi, & communi. Deinde immediate subjungit: *Si tamen adeo sit evidens, & urgens necessitas, ut manifestum sit instanti necessitati de rebus occurrentibus esse subveniendum, quia, cum imminet persona periculum, & aliter subveniri non potest (quod est extrema necessitas) tunc licet potest aliquis ex rebus alienis sue necessitati subvenire, sive manifestè, sive occultè sublati: nec hoc proprie habet rationem furti, vel rapinae.* Et adhuc clarior ad 2. *Uti re aliena, inquit, occultè accepta in casu necessitatis extreme non habet rationem furti, proprie loquendo, quia per talem necessitatem efficitur suum id, quod aliquis accipit ad sustentandam propriam vitam.* Ubi videt S. Doctorem ad casum solum extremæ necessitatis restringere jus surripiendi alienum,

nam, eò quod tunc solum omnia sint communia.

Repones: Juxta S. Thomam ibidem, *Res, quas aliqui superabundanter habent, ex Jure naturali debentur pauperum sustentationi*; atqui id verum est, non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate: ergo pauperes in gravi necessitate possunt illas accipere. R. 1. Arguementum nimis probare. Major enim est vera, non solum in extrema & gravi, sed etiam in communi necessitate, unde sequeretur, quod pauperes communes possent aliena rapere: Igitur. R. 2. D. Maj. Superflua debentur pauperibus Jure naturali charitatis & misericordie, C. Maj. Jure Justitiæ, N. Maj. Et ideo pauperes non habent jus strictum Justitiæ illa surripiendi ut sua, sicut habent in extrema necessitate, in qua omnia sunt communia; sed, ut ait S. Th. committitur arbitrio domini, ut illa dispenset; consequenter, sunt rationabiliter inviti quantum ad hoc, quod sine eorum consensu surripiantur a pauperibus: seu aliis terminis, tenentur divites dare pauperibus, sed non tenentur consentire, ut ipsi propria auctoritate capiant, & quantum ad hoc sunt rationabiliter inviti.

## ARTICULUS VII.

*Utrum Compensationes, seu Recuperationes occultæ sint licitæ?*

JAm dixi supra art. 2. de restit. in genere, duplicem esse compensationem: unam proprie dictam, quando ex utraque parte est debitum; v. gr. debeo tibi centum pro panis, tu mihi debes centum pro vino: retineo centum, quæ tibi debeo, pro centum quæ mihi debes: vocatur in Jure *debiti & crediti inter se contributio*; hanc esse licitam, dixi loco supra citato.

Altera compensatio, improprie dicta, nihil aliud est, quam recuperatio rei vel debiti, quam facit is, qui nihil debet suo debitori: v. gr. debes mihi viginti aureos, totidem a te clam surripio. Furatus es meum equum, eundem occultè recuperem, aut tuum occupo. De hac quaeritur, utrum sit licita. Et quamvis videatur quedam distinctio facienda inter rem adhuc extantem & debitum simplex; Auctores tamen non distinguunt, & indiscriminatim statuunt, compensationes occultas esse licitas vel illicitas.

Dico 1. (Hic a. 3. ad 3. & a. 5. ad 3.) Compensationes, seu Recuperationes occultæ, sive rei adhuc extantis, sive debiti, per se loquendo sunt illicitæ. Ratio est (Ibid.) quia, qui occultè accipit rem suam (idem die de debito) apud alium injustè detentam, peccat contra communem justitiam, dum ipse sibi usurpat rei suæ judicium, Juris ordine prætermissio; & ideo tenetur Deo satisfacere & dari operam, ut scandalum proximorum, si inde ortum fuerit, sedetur. (Ibid.) Quia tamen hæc iniqua rei meæ possessio nihil juris tribuit detentori, quin potius ejus conditionem pessimam reddat, cum illum in continuo statu peccati detineat; sequitur, quod sic accipiendo rem meam non gravem detentorem, nec peccem peccato furti, & consequenter non teneat ad restitutionem.

Nec obstat, quod idem S. Thomas a. 3. cit. ad 3. dicat: *Id, quod est per rapinam ablatum, esse rapientis... quantum ad detentionem.* Nihil enim aliud hac phrasi significatur, quam quod raptor teneatur rem raptam detinere & custodire, ut eam opportune reddat domino: & quod nemo possit auctoritate privata eam auferre, quin violet ordinem Juris, ut dictum est: excipie, nisi sit res parvi momenti; & de minimis enim non curat Prætor. Ceterum, assistendo in hac sola violatione ordinis Juris, forte non reputaretur graviter illicita compensatio occultæ, quia hæc violatio præter illam compensationem occultam, quia tamen interveniunt plerumque alia graves inordinationes, nimirum scandalum, infamia, perturbatio Reipublicæ, periculum frequentis abusus contra bonum commune, periculum duplicis solutionis pro eodem debito, &c. ideo regulariter loquendo compensatio occultæ debet censeri graviter illicita. At quaestio est, utrum per accidens positæ certis conditionibus abstergi possint hæc inordinationes, & compensatio occultæ fieri licita? pro quo

Dico 2. Recuperationes, seu compensationes occultæ positæ certis conditionibus sunt licitæ; raro tamen exercendæ, aut consulendæ, quia raro concurrunt omnes conditiones requisitæ. Porrò hæc conditiones sunt 1. ut constet, rem esse tuam, aut tibi debitam ex Justitiâ; si enim esset dubium, non posses uti compensatione, quia in dubio melior est conditio possidentis. Similiter, si tantum ex gratitudine, vel charitate esset debita. 2. Ut non possis rem tuam, vel debitum recuperare petendo, aut via Juris, sive propter nimiam potentiam, aut iniquitatem debitoris,

sive propter injustitiam Judicis, sive propter defectum probationum, sive propter majus damnum pacis, amicitie, aut rerum. 3. Ut absit periculum scandali, vel infamiam respectu tui, quam respectu debitoris, ne scilicet alteruter traducatur ut fur. 4. Ut absit periculum duplicem pro eadem re, vel eodem debito solutionem, aut restitutionem accipiendi; pro quo cavendo debet debitor, si debiti sit conscius, convenienti modo moneri esse liberum a restitutione, seu solutione. 5. Ut hæc omnia consent, non proprio compensantis, sed alterius viri prudentis & partim liberi judicio, ne propria cupiditas exerceat, & mentiat sibi iniquitas. 6. Ne fiat compensatio in deposito, quia id Jura vetant cap. *Bona fides. De deposito*: sunt tamen, qui volunt hanc legem valere dumtaxat pro foro externo; sed non videtur, cur non valeat etiam pro foro interno; sicut diximus alibi valere legem prescriptionis. His itaque conditionibus positæ, dicimus compensationes occultas esse licitas. Ità communiter Theologi, S. Antonius, Cajetanus, Bannes, Sylvius, Wiggers, & omnes discipuli D. Thomæ, inquit Serra; ex Accentioribus, Pontas, Perfector Tournelli, Henricus a S. Ignatio &c. contra paucos Recentiores Lovanienses.

Probatur. Si compensatio occultæ esset illicita, ideo esset, quia per eam fieret injuria debitori, vel Judici; atqui positæ conditionibus assignatis neutrum dici potest: ergo. Prob. min. 1. Non fit injuria debitori, ut docet ipse S. Th. hic a. 5. ad 3. patet; quia non nisi certo meum accipio, aut quod ipse debitor tenetur ex justitiâ mihi reddere. 2. Non fit injuria Judici; quia, ut suppono, Judex non vult, aut non potest mihi dicere jus: ergo. Confirmatur. Juris ordo est institutus ad reddendum cuique jus suum, & ad pacem communem servandam; atqui pax communis, ut suppono, non violatur hic; & si Juris ordo servaretur, non possem obtinere meum jus, aut non nisi cum gravi damno: restat ergo, quod jure naturali utens ipse meum recuperem. Nec in hoc proprie mihi dico jus, ut advertit Cajetanus, sed potius jus meum exequor, cum non utar aliqua auctoritate, sed sola occultæ acceptatione: sicuti non mihi jus dico, sed jus meum exequor, dum res meas adversus injustum invasorem defendo.

Obj. 1. cum Lovaniensibus, S. Thomas hic a. 5. ad 3. dicit generaliter, quod, qui rem suam occultè recuperat ab injusto detentore, peccat contra communem Justitiam, dum ipse sibi usurpat suæ rei judicium; atqui positæ etiam assignatis conditionibus verum est, quod occultè compensans usurpet suæ rei judicium; debet enim indicare, quod debitum sit certum, quod non possit via Juris repeti, quod absit periculum scandali & majoris damni, &c. ergo. R. 1. Sic compensans non magis usurpare rei suæ judicium, quam usurpet ille, qui vitam, aut res suas contra injustum invasorem defendit; debet enim iste utique judicare, quod res sint certo suæ, quod invasor sit injustus, quod absit periculum scandali, aut majoris damni, &c. & tamen nemo eum peccati arguit. Dicendum ergo, vel quod in hoc utroque casu non sit proprie rei suæ usurpare judicium, sed jus suum exequi, ut jam dixi ex Cajetano; vel quod, quamvis regulariter loquendo nemo possit rei suæ usurpare judicium (quo sensu intelligitur dictum D. Thomæ), si tamen sit casus, in quo non possit haberi Judex, & instet necessitas agendi, aut damnum patendi, ut in defensione, vel recuperatione rei suæ, non videtur tunc illicitum rei suæ ferre judicium. In tali enim casu, inquit idem Cajetanus hic ad 5. §. *nim impotens*, licet a Lege discedere, saltè sic, quod non sit contra Justitiam, quamvis videatur fieri præter Justitiam, discedendo a directo illius modo. Ceterum, si compensatio in hoc casu sit ex hoc solo capite illicita, videtur valde leviter illicita; quia, si quæ sit inordinatio, videtur valde levis. R. 2. N. min. Quia compensans, qui juxta quintam conditionem omnia præ & contra sincerè exponit viro prudenti partium libero, & hujus judicium sequitur, non magis est Judex in propria causa, quam poenitens, qui sincerè Confessarius suo præ & contra conscientiam suam aperit.

Obj. 2. cum iisem: Supposito, quod conditiones illæ abstergant omnem compensationis malitiam intrinsecam, nunquam tamen abstergent omnem malitiam extrinsecam bono communi contrariam; quia, si compensatio occultæ suis conditionibus stipata semel judicetur licita, unusquisque eam in aliis casibus, ubi licita non est, facile judicabit licitam, imaginabiturque propter innatam ad temporalia concupiscentiam conditiones requisitas adesse, ubi non adsunt; & sic via aperitur ad multa furta impudè perpetranda contra bonum commune: ergo. R. Nos huic in-



inconveniēti obviare per jam dictam quintam conditionem. Posito enim, quod veritatis & certitudinis conditionum discussio, non ad proprium iudicium compensantis, sed alterius viri prudentis partium liberi referatur, non est, curtimeatur ex nostra sententia, ne propter cupiditatem compensantium via furtis aperiatur. Et hoc experientia constat. Nostra enim sententia passim traditur, & ad praxim reduciuntur, necdum tamen inde videmus eversum bonum commune & perturbatas Respublicas.

Inst. Chartusianus, in periculo mortis positus, non potest manducare carnes, dum adsunt alii cibi, etiamsi, non ipse, sed medicus iudicet carnes esse necessarias; non quod manducare carnes sit tunc contra intrinsecam Legis; sed quod si semel permitteretur in tali necessitate, facile salutaris illius Ordinis rigor relaxaretur: ergo similiter in nostro casu. R. 1. Non constare esum carniū in tali casu non esse contra intrinsecam Legis respectu Chartusiani. Quia, licet Leges humane regulariter loquendo non obligent eum dispendio vitæ, contrarium tamen potest contingere, dum nempe quis sponte hanc obligationem suscipit: hanc autem videtur sponte suscipere Chartusianus, dum profitetur Religionem, in qua scilicet servari rigorem. Et hæc est prima disparitas. R. 2. Altera disparitas est, quod causæ & qualitates morborum sint occultæ, & ipsis etiam medicis sæpe impervix, proindeque ipsis non constare certò, an morbus sit ad mortem, vel non; an carnes sint simpliciter necessariae, vel non; & cum aliunde noscantur plerumquæ indulgentiores in hac parte, sequitur, quod, si semel permitteretur Chartusiani esus carniū in reputato periculo mortis, passim fingerentur talia pericula, & inde salutaris rigor istius Ordinis relaxaretur. At verò in nostro casu non est ita difficile dignoscere, an certum sit esse meam rem, quam alter detinet, aut meum debitum esse liquidum; si enim a certitudine deficiat, non admittimus compensationem: item an possit, vel non possit res obtineri via Juris, & sic de cæteris conditionibus: Itæ, inquam, licet forte ipse compensans propria cupiditate ductus non possit ita facile, ac integrè iudicare, poterit tamen alter tertius partium liber, ideoque ex compensatione sic facta nullo bono communi periculum imminet. Hanc sanè disparitatem sensibiliter etiam probat ipsa experientia: ex nostra enim sententia, ut jam observavi, nullum hæc usque videmus sequi grave detrimentum boni communis. At verò ex esu carniū permissio sub pretextu morbi periculosi videmus in variis Religionibus salutare abstinentiæ rigorem relaxatum.

Obj. 3. cum Iidem. Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: *Famuli, ac famule domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam, quam majorem iudicant salario, quod recipiunt.* Est 37; atqui tamen circa illos, non secus, ac circa alios, possunt concurrere omnes conditiones, quas requirimus ad compensationes licitas: ergo. R. Hanc propositionem esse damnatam, 1. quia est indefinita & universalis, comprehendens casus, in quibus certò non licet domesticis compensatio occultæ; puta, si sponte convenerit de stipendio, juxta parabolam de laborantibus in vinea Matth. 10. 2. Quia constituit iudices in propria causa ipsos domesticos regulariter ineptos ad tale iudicium, & lucri nimium avidos. Unde sistendo in terminis propositionis damnatæ neganda est minor. Cæterum, si revera erga domesticos occurrerent omnes conditiones requisitæ ad licitam compensationem, non foret ipsis magis prohibita, quam aliis, v. gr. si herus inique retiperet partem stipendii conventi, & cætera adsint.

Petes, utrum famuli & famule (idem est de mercenariis) possint uti compensatione occultâ, si necessitate coacti convenerint de minore stipendio? R. negativè. Quia forte, aut dominus non ita indigebat illorum opera, aut nolisset acceptare majore stipendio, aut alios reperisset, qui æquali stipendio inservissent, aut laborassent. Adde, quod, sicut merces, ita & operæ ultroneæ vilescant, & tam famuli, quam mercenarii sunt ita comparati, ut semper existant se infra meritum stipendia accipere. Sed & graviter sunt culpandi domini, qui famulorum, aut mercenariorum opera verè indigentes illos necessitate coactos minus justo stipendio conducunt: hoc est enim fraudare saltè pro parte operariorum mercedem, quod est peccatum in oculum clamans.

Obj. 4. S. August. Libr. 22. contra Faustum c. 74. loquens

de spoliatione Ægyptiorum, facta jubente Deo per Hebræos, dicit: *Quod tamen si Moyses sponte sua justisset, aut Hebræi sponte sua fecissent, profecto peccassent; atqui, si compensatio esset licita, maxime in hoc casu: ergo. Prob. minor: certò debebatur merces Hebræis pro tot, ac tam duris laboribus, quibus eos vexaverant Ægyptii, juxta illud Sap. Deus reddidit justis mercedem laborum suorum; nec eam poterant obtinere via Juris: ergo. R. N. min. ad prob. D. Certò debebatur Hebræis merces ab his, qui eos duris laboribus vexaverant, nimirum a Pharaone & operum præfectis, C. ab his, a quibus surripiebant vasa, N. Ea enim juxta Scripturam surripuerant ab amicis & vicinis, qui in nullo eos vexaverant, & qui proinde nihil ipsis debebant. Nisi ergo Deus dedisset mercedem, quam equidem merebantur, peccassent eam accipiendo ab illis, qui illam non debebant.*

Obj. 5. Nemo potest auctoritate privata ulcisci propriam injuriam, etiamsi non possit obtinere satisfactionem a Iudice: ergo nec rem suam occulte recuperare. R. N. Conseq. Quia vindicta auctoritate privata est semper illicita: recuperatio verò rei suæ non est vindicta.

Ex his inferit 1. Sylvius post Navarr. Lessium & alios, quod, si feratur excommunicatio in eos, qui vel res surripuerunt, vel scientes non revelant, non comprehenduntur is, qui rem suam, aut debitum recuperavit, neque id scientes; tunc quia excommunicatio major non ligat nisi eam, qui peccat moraliter; tunc quia nemo tenetur se, vel alium innocentem prodere ad damnatum suum. Hoc etiam verum reputat Lessius, quamvis recuperans peccaverit in modo accipiendi, puta, quia poterat rem suam recuperare via Juris: quia etsi peccaverit accipiendo, non peccat tamen detinendo, nec tenetur restituere: Episcopus autem ferendo excommunicationem tantum intendit cogere injustum detentorem ad restitutionem. Inferit 2. idem Sylvius, quod si, qui rem suam, aut debitum licite recuperavit, interrogetur a Iudice, an sciat, quis accepit, possit respondere, se nescire; quia Iudex interrogat de injusta acceptione, qui autem interrogatur, neminem scit injustè accepisse. Addit, id etiam verum esse, quamvis forte peccaverit in modo accipiendi, quandoquidem non peccaverit per hoc, quod accepit, neque peccet in iure detinendo, ut jam modo dicebam ex Lessio. Iudex autem solum intendit, ut intendere debet scire, & punire injustum detentorem.

Hæc usque de compensationibus occultis; sed quid de manifestis? Quidam ex illis, qui tenent occultas esse illicitas, permittunt manifestas: quia, inquit, non peccatur in hoc contra ordinem Juris. Si enim Petrus contendat me inique agere, poterit me via Juris aggredi: nec iudicium mihi usurpo; cum enim rem Petri detineam in conspectu orbis, iudicium Petro relinquo; quo, si possit, ipsi liberum est me ex possessione talis rei deturbare. Ita Doctor Daelman.

R. Sub distinctione. 1. Recuperare manifestè rem suam in flagranti furtivæ actionis, aut quando nondum est in tuto loco reposita, licitum est; quia id habet rationem iustæ defensionis. 2. Recuperare manifestè rem suam adhuc in specie extantem, etiam postquam ablata est & in tuto reposita, vi moderata adhibita, non videtur illicitum, saltè moderatè. 1. quia usu receptum est, ut ubique quis rem suam invenit, eam accipiat. 2. Quia relinquatur locus iudici, ut dictum est. Quod si contendat, nihilominus hic esse aliquam præmissionem ordinis Juris, dum quis primo rem suam occupat, incensulto iudice; hoc dato, hæc inordinatio non videtur gravis, cum relinquatur locus iudici, & ideo dixi talem compensationem non videri illicitam saltè moderatè. Dixi: *vi moderata adhibita*, ex qua scilicet non sequatur mors, vulneratio, grave scadalum, aut Reipublice perturbatio, licet forte sequatur furis ipsius, aut ejus familie quædam turbatio. 3. Recuperare manifestè simplex debitum non licet: 1. quia id fieri non potest absque scandalo; & qui sic ageret, haberetur fur, & ut talis puniretur in foro externo. 2. quia non est dominus rei, quam vult surripere in compensationem sui debiti, unde alter habet jus resistendi.

Quæ spectant obligationem restituendi ex furto, abundè discussa sunt, dum de Restitutione in genere: require ibi.

## DISSERTATIO XII. DE INJUSTITIA JUDICIS.

Div. Thom. Quæst. 67.

Postquam egimus (Q. 67. in Proem.) de vitii oppositis iustitiæ commutativæ, per quæ factò leditur proximus in persona, & in rebus exterioribus, restat agendum de vitii, per quæ leditur verbis, & primo de nocentibus verborum, quæ fiunt in iudicio: Secundo de iis, quæ fiunt extra iudicium. Circa primum quinque consideranda occurrunt. (Ibid.) 1. De injustitia Judicis in iudicando. 2. De injustitia Accusatoris in accusando. 3. De injustitia Testis in testificando. 4. De injustitia Rei in sua defensione. 5. De injustitia Advocati in patrocinando: de quibus suo ordine.

### ARTICULUS I.

Utrum quis possit iudicare eum, qui non est sibi subditus?

Suppono ex Dissert. 7. iudicium esse actum virtutis Iustitiæ, proindeque licitum. Suppono item ex eodem loco, Iudicem existentem in peccato publico peccare iudicando; secus, si sit peccator occultus. Require loco cit. Suppono iterum ex q. 60. a. 5. o. D. Thomæ, Iudicem ordinariè debere iudicare secundum Leges scriptas. Quia leges scribuntur, vel ut declarent Jus naturale, vel ut instituant Jus positivum: ergo, si iudicium non feratur secundum Leges scriptas, deficiat a Jure naturali, vel positivo, sique erit injustum. Unde Iudex communiter definitur: *Persona publica ad hoc instituta, ut sibi subditis ius dicat secundum Legem præscriptam.* Per Legem intellige etiam consuetudinem vim Legis habentem. Potest tamen supremus Iudex subsistere legitima causa in Legem humanam dispensare, vel eam abrogare, quod non potest inferior. Dico *subsistente iustitia causa*: quia id non potest pro libito, maxime in præiudicium tertii, cum sit æquitas naturalis, ut, quod quis observari præcipit, ipse observet. Unde Aug. de vera Religione, loquens de Legibus humanis dicit: *Quamquam de his homines iudicent, cum eas instituit; tamen cum fuerint instituta, non licebit Judici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas.*

Dixi: *ordinariè*: (Q. 60. a. 5. ad 1. & 2.) Quia, si Lex humana ferat contra Jus naturale, non licet iudicare secundum illam, cum tunc esset injusta. Item, si secundum se esset iusta, sed in aliquo casu vergeret in detrimentum boni communis, aut esset contra intentionem Legislatoris, ita quod si adesset Legislator, iudicaret aliter, quam ferant verba Legis; nunc non est iudicandum secundum verba Legis, sed secundum intentionem Legislatoris per Episcopiam; cum hac distinctione, quod, si certò constet aliam esse mentem Legislatoris a verbis Legis, nec voluisse hunc casum comprehendere, non sit necesse ad ipsum recurrere; etiam si res ferat moram; quia in manifestis non est opus interpretatione, sed executione. (Infra q. 120. a. 1. ad 3.) Si verò id non constet, sed tamen est probabilis, consulti debet Legislator, si res ferat moram; si non ferat, licet per Episcopiam, ut dixi, ipso inconsulto agere contra verba Legis. Si tandem sit æquale dubium, nec possit consulti Superior, agendum est secundum verba Legis; quia in audio Lex possidet.

Nunc ad questionem nota (Hic q. 67. a. 1. c.) duplici modo aliquem posse alteri subditi, vel per potestatem ordinariam, vel per commissionem, seu delegationem. Iudex ordinarius dicitur, qui ex officio præest universitati causarum, sive proprio iure, ut Summ. Pontifex respectu omnium fidelium, Episcopus respectu Dioecesanorum, Rex respectu Civium; sive ex beneficio, & collatione Principis, ut Præses, Ballivus, Præpositus, &c. Iudex delegatus est is, cui Iudex ordinarius per simplicem commissionem committit vices suas, sive ad universitatem causarum, sive ad hanc specialem causam; & iste non potest delegare, nisi sit delegatus Summ. Pontificis. Ad hunc modum reduciuntur alii duo: (Ibid. ad 2.) unus ex consensu partium per compromissionem in arbitros, quorum arbitrium debet pœna vallari; quia, licet supposito consensu partium

potestas ipsis committatur a Jure l. 1. & 6. Decretal. per varia capita, non ea tamen, qua possint partes compellere ad sententiæ executionem, unde debet apponi pœna, qua compellantur. (Ibid. ad 3.) Alter est ratione vel delicti, vel contractus, vel rei, de qua agitur: ex Jure c. Licet 2. Extra. l. 2. tit. 2.

Dico: Nullus potest iudicare alium, nisi sit aliquo modo subditus ejus. (Ib. o.) Prob. (Ib.) Sententia Judicis est quasi quædam particularis Lex in aliquo particulari facto; & ideo, sicut Lex generalis debet habere vim coactivam, ita etiam sententia Judicis debet habere vim coactivam, per quam constringatur utraque pars ad servandam sententiam Judicis, alioquin iudicium non esset efficax; atqui potestatem coactivam non habet licitè in rebus humanis, nisi ille, qui fungitur publica potestate, & qui ea funguntur, Superiores reputantur respectu eorum, in quos sicut in subditos potestatem accipiunt, sive habeant ordinariam, sive per commissionem: ergo. Unde Alex. III. C. Etsi Clerici de iudiciis dicit: *Sententia, a non suo Iudice lata, non tenet.* Et Zepherinus Causa 3. q. 8. c. Accusatores: *Nullum Sententia a non suo Iudice constringat.*

Hoc autem iudicium in non subditum latum dicitur iudicium usurpatum; & est ex genere suo peccatum mortale, cum secundum se gravem injuriam faciat tam partibus litigantibus, quam Superiori, cujus usurpat auctoritatem. Hæc usurpatio iudicii peccavit Pilatus, dum Christum omnium Dominum, nec illi, nec Cesari subditum, iudicavit. Neque obstat, quod Christus dixerit Pilato: *Non haberes potestatem acterius me ullam, nisi tibi data esset a superioribus;* nec quod dicit S. Th. hic ad 2. quod *Christus propria sponte humano iudicio se subdidit*: non enim his significatur, Pilatum accepisse potestatem superioritatis iudicandi Christum, sed potestatem fieri tantum, seu non impeditionem; quo sensu prius dixerat Christus militibus: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum;* quasi diceret: hæc est hora a Patre constituta, qua sinit, vos me capere.

Hujus etiam criminis rei sunt Iudices sæculares, qui sive in criminalibus, sive in civilibus pertrahunt ad sua Tribunalia, quæ non sunt mixti fori, Clericos, quos iudicandi non habent potestatem, ut constat ex Trid. sess. 25. de Ref. c. 20. Ex cap. Si diligenti Extra. l. 2. tit. 2. de foro competentis, & ex dist. 96. ubi inter cætera C. Denique sic loquitur Nicolaus Papa ad Michaëlem Imperatorem: *Quibus tantum humanis rebus, & non divinis, præesse permittimus est; quomodo de his, per quas divina ministrantur, iudicare præsumant, penitus ignoramus.* Non quod Clerici non possint ut actor pertrahere Laicum coram Iudice sæculari; sed quod non possint pertrahi ut reus, seu defensor: & huic privilegio cedere non potest: Cum, ut dicitur cit. cap. Si diligenti, non sit beneficium hoc personale, cui renuntiari valet, sed potius toti Collegio Ecclesiastico sit publicè indultum, cui privatorum pacto derogari non potest. Neque etiam hujus peccati reatum evadunt Episcopi, qui Religiosos exemptos iudicare, eorumque causas discutere præsumunt in his, in quibus Concilium Trid. eos non subdidit eorum jurisdictioni.

Petes 1. Utrum Iudex excommunicatus ferendo sententiam peccet usurpatione iudicii, & sententia ejus sit irrita? R. 1. Iudex excommunicatus occultè ferendo sententiam, non peccat usurpatione iudicii, neque sententiæ; cætera que ejus acta sunt valida. Est communis Ratio est: 1. Quia excommunicatio occultâ non privat, aut suspendit ab officio, ut colligitur ex cap. Ad prohibendum Extra. l. 2. t. 27. De sententiis, & re iudicata. Ubi decernitur, cassandam esse sententiam; *Si unus ex delegatis Iudicibus excommunicationis vinculo esset publicè innodatus.* Ex quo inferunt Canonistæ a contrario sensu, non esse cassandam, si sit occultè excommunicatus. 2. Quia, si acta occultè excommunicati essent invalida, cum hæc excommunicatio lateat, sequerentur gravissima inconvenientia, nimirum innumeræ sententiæ, absolutiones, condemnationes, presentationes, collationes, electiones, alique similes actus essent nulli, deberentque rescindi cum maxima Reipublice perturbatione, &